



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1409.

stium, & alia documenta, legitime constat; habitaque super his deliberatione matura, decernit, pronuntiat & declarat, delicta omnia & excessus, ac alia ad decisionem necessaria in petitione presentis causae deducta contra dictos Benedictum & Gregorium de papatu contententes, per promotores seu procuratores per hanc sanctam Synodum deputatos, fuisse & esse notoria, & tamquam super notoriis, fuisse & esse ad ulteriora procedendum; & tamquam in causa, in qua imminet scandalum, & periculum est notorium in mora. De qua quidem pronuntiatione dicti procuratores petierunt instrumentum vnum, vel plura, ad perpetuam rei memoriam, a protonotariis & aliis notariis ibidem presentibus.

Quibus ita expeditis, fuit per dictum Concilium reuocata potestas commissariorum, antea data ad examinandum testes: fuitque super hoc data potestas per Concilium, de eligendo & mittendo nuntios & legatos idoneos ad dominum Lucanum, & ad Senensem, pro facto ecclesiae. Et insuper fuit dies assignata, proxima sessione ad diem Mercurii proximam, quae erit 29. mensis Maii, ad deliberandum de citatione contra contententes faciendam, pro audiendo sententiam definitiuam, & etiam pro ordinando de die ferendi dictam sententiam, & agendi ad procedendum ulterius, prout sacro Concilio videbitur, & fuerit expediens: & sic dictum Concilium recessit.

## SESSIO XIII.

Die Mercurii vigesima nona dicti mensis Maii adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis vt supra, quidam valentissimus magister in theologia, vocatus magister Petrus Plaoul, ascendit pulpitem, & proposuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter, & ponent sibi met caput vnum*, Osee 1. in fine: & deduxit pulcre exaltando ecclesiam, & asserendo eam esse supra papam. quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiae, scilicet animarum; quam ex parte formae, quae est Spiritus sanctus; quam etiam ex parte causae efficientis, quae est ipse Christus; quam etiam ex parte finis, quae est ipse Deus in ecclesia triumphante. Et postmodum posuit opinionem vniuersitatis Parisiensis, videlicet

Hinc planum est, controuersiam de Concilio supra pontificem auctoritate, agitatam fuisse in hac Synodo Pisana.

quod Petrus de Luna est schismaticus, pertinax & hæreticus, etiam accipiendo hæresin proprie & stricte: præcisusque ab ecclesia Dei, eiectus a iure papatus, & priuatus, ac per Concilium de facto tamquam talis eiiciendus & priuandus. Et hæc declarauit pluribus rationibus, & subiunxit, quod de eadem opinione erant vniuersitates Andegauenfis, Aurelianensis, & Tolosanensis. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam episcopus Italicus, qui opinionem centum & trium magistrorum in theologia, & plurium licentiatorum, & baccalaueorum formatorum, ac vniuersitatis Bononiensis, in quadam schedula publicauit, quæ est conformis opinioni vniuersitatis Parisiensis.

Postmodum autem aduocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & petiit diem assignari ad sententiam definitiuam ferendam, & etiam citationem peremptoriam decerni per edictum ad valuas ecclesiæ cathedralis ciuitatis Pisanae & loca insignia, contra dictos contententes de papatu: quam diem petiit assignari Mercurii proxima, quæ erit quinta dies mensis Iunii proxime futuri; & quod illa die fieret vna sessio. Requisiuit insuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima mensis Iunii, fieret vna sessio, ad audiendum publicari certas attestations super nouis & antiquis de nouo receptis, ex abundanti cautela, contra dictos duos contententes. super quibus omnibus petiit a sacro Concilio, an placeret. Omnes autem de Concilio responderunt, placet. Super quibus omnibus petitis & requisitis per episcopum, tam de die sententiæ ferendæ, quam etiam de citatione & sessione media: de quibus petierunt procuratores instrumentum ad perpetuam rei memoriam: & sic Concilium recessit. Die autem Sabbati adueniente, quæ fuit prima mensis Iunii dicti anni 1409. congregato Concilio in ecclesia cathedrali Pisana, & seruatis solennitatibus & ceremoniis consuetis, ac nonnullis orationibus ad factum vnionis ecclesiæ dictis, dominus archiepiscopus Pisanus ascendit pulpitum: & quia aliqui volentes plus sapere quam sapere oportet, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant attestations, tum quia non fuerat facta relaxatio,

ANNO  
CHRISTI  
1409.

ANNO  
CHRISTI  
1409.

nisi dumtaxat super notorietate facta, & non super veritate eorundem. Ideo ad obseruandum omnes circumstantias, de mandato dominorum cardinalium, & plurium episcoporum, & aliorum qui dati fuerant commissarii per Concilium ad examinandum testes, idcirco fecit relationem suam ex abundanti per hunc modum: Quia primo sumebat sigillatim vnumquemque articulum, exprimendo eius substantiam & effectum; & post statim subiungebat, satis iste articulus probatur verus per tot testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, & duo doctores, & tres auditores, &c. Et sic de omnibus articulis, vsque ad finem; qui omnes fuerunt probati veri, & quilibet, per plures testes magnæ auctoritatis: in fineque subiunxit, si essent aliqui de Concilio, qui vellent videre ad longum attestaciones, quod irent die Lunæ & Martis proxima ad conuentum Carmelitarum, & ibi reperirent notarios, qui omnia ad plenum eis ostenderent, de quibus, &c. vt supra.

## SESSIO XIV.

Die Mercurii adueniente, quæ fuit quinta mensis Iunii, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt alias fuerunt seruata, aduocatus ecclesiæ ascendit pulpitem, & proposuit, quod die Mercurii vltime præterita fuit decretum citatorium contra dictos contententes de papatu, ad audiendum sententiam definitiuam in præfenti causa vnionis ecclesiæ schismatis & fidei, scilicet ad diem hodiernam quintam mensis Iunii, videlicet per edictum ponendum & affigendum in valuis huius basilicæ, & aliis locis insignibus ciuitatis, prout factum fuit, & constat per relationem legitimam cursorum, ac etiam per rei euidentiã. Ideo petiit & requisiiuit, quod omnes domini cardinales & alii prælati se transferrent ad valuas ecclesiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contententes de papatu improbe, aut aliquis pro ipsis aut aliquo ipsorum, esset præfens. Et relatione dictorum cursorum facta, petiit sententiam definitiuam in scriptis fieri, etiam contumacia non obstante, quam accusabat nomine quo supra. Quibus sic factis, duo cardinales, videlicet de Columna & sancti Angeli iunior, & duo archiepiscopi, videlicet